



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XVI. Vtrum Deus cognoscat possibilia, mala, negationes, & entia rationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO XVI.

*Vtrum Deus cognoscat possibilia,
mala, negationes, & entia
rationis?*



IDETVR non cognoscere. 1. Quia ita se habet vnumquodque ad cognosci; sicut se habet ad esse, & tantundem præcisè veritatis, seu cognoscibilitatis habet, quantum habet entitatis. Ens namque, & verum sunt omnibus modis perfecte conuertibilia mutuo. Possibilia autem præcisè, vt possibilia, sunt in totali potentia ad esse, ideòque nihil actu participant de esse. Multò minùs conuenit esse malo, & negationi. Quia de conceptu vtriusque est pura exclusio ipsius esse, seu actualitatis, & perfectionis. Minime verò omnium conuenit esse enti rationis. Cui nimirum repugnat ex suo conceptu, vt sit in se intrinsecè; solumque habet esse obiectiue in intellectu fingente. Nihil igitur horum habet vllam veram cognoscibilitatem. Quod autem cognoscibile nullatenùs est, ne quidem à Deo cognosci potest.

2. Deus non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum. Quia, vt arguunt Scotus, Vafquez, & alij, maior est neceſſitas exiſtentie Dei, quam poſſibilitatis creaturarum: Cum Deus ſit ens ſummè neceſſarium, & primum omnium neceſſario- rum, vt liquet ex qu. 2. Præterea abſurdum eſt, dicere Deum fore chimeram, repugnante Muſca, ex. gr. & conſequenter Deum dependere ab eius non repu- gnantia. Demum ſufficienter, atque decentius intel- ligitur perfectio omnipotentie diuinæ, intellecta ſufficientia eius, quantum eſt ex ſe, ad producendum omne poſſibile, cum indifferentia, ex parte eiſdem omnipotentie, vt dentur, vel non dentur poſſibilia extra Deum, ſiue abſolutè, ſiue tot, & talia. Ergo nullum ex poſſibilibus extra Deum, eſt cognofcibile in Deo. Deus autem nihil cognofcere poteſt, niſi in ſe ipſo, vt liquet ex quæſt. præcedenti.

3. De conceptu scientiæ est similitudo eius cum scito. Nulla autem similitudo esse potest inter scientiam Dei, quæ est ipse Deus, ac proinde est purum esse; & negationem, quæ est purum non esse. Ergo negatio non potest esse scita à Deo.

4. Malum non est participatium Deitatis, quæ est purum bonum, vt dictum est supra; nec opponitur Deitati, cui nihil est contrarium, vt dicit Augustinus l. 12. de Ciuit.c.2. Nihil autem est cognoscibile in alio, nisi ratione similitudinis, aut oppositionis cum ipso. Ergo malum non est cognoscibile in Deo. Ergo nec est cognoscibile a Deo, qui nihil cognoscere potest nisi in se ipso, & per se ipsum, vt dictum est.

5. Entia rationis, qui cognoscit, ille facit. Nec enim est aliud eorum fieri, quam cognosci. Deus autem nequit facere entia rationis; quia nequit fingere. Ergo nequit cognoscere entia rationis.

Art. 1. Respondetur. Causam posse facere effectum, & effectum posse fieri à causa; idest, dari potentiam actiuam causæ, & dari possibilitatem effectus; seu non repugnare, vt faciat causam, & non repugnare, vt fiat effectus, non solum sunt mutuo conuertibilia logicè, ita vt alterutrum legitime inferatur ex altero, sicut dari maius, & dari minus; dari maioritatem, & dari minoritatem, sed etiam sunt idem realiter, cum sola diuersitate modi in dicendo, & apprehendendo; sicut videre, & videri; amare, &

amari; legere, & legi. Eadem est ratio de principio electiuo, ac dominatiuo comparato cum obiecto eligibili, ac seruili; nec non de beneficio comparato cum beneficiabili; deque aliis eiusmodi. Quare neutrum ex huiusmodi extremis cognosci potest saltem perfectè, & comprehensiuè, quin simul cognoscatur alterum. Quia nihil cognosci potest perfectè & comprehensiuè, manente incognito aliquo indistincto realiter ab ipso.

Art. 2. Cognoscit autem Deus comprehensivè inesse sibi virtutem actiuam ad extra, se esse agens liberam, electiuum, & dominatium; posse conferre plura beneficia; abundare seruis; adoptare filios, eosque instruere, locupletare, beare; &c. idque non solum conditionatè conditione pendente; quantum est ex parte Dei, seu pronentura aliunde, quam à sua libera voluntate, sed etiam absolutè, & proximè. Quia hæc omnia prædicata secundum suum conceptum absolutum sunt perfectiones simpliciter simplices, vt potè oppositis prædicatis meliora, æstimabiliora, & optabiliora, non minùs, quàm esse immensum, æternum, esse à se, esse ens necessarium, & familia. Insunt autem Deo absolutè, & non tantùm conditionatè omnes perfectiones simpliciter simplices, vt dictum est suprà q. 14. & sæpe aliàs. Quarum perfectionū vna est earundem cognitio perfectæ, & comprehensivæ. Ergo Deus, ex suo conceptu essentiali, est substantia libera, & electiva, non tantùm conditionatè, si dentur aliunde eligibilia; sed etiam absolutè; atque vt hoc ipsum cognoscat, sibi inesse, est similiter essentielle eidem; Idemque dicitur de aliis prædicatis modò enumeratis, & enumerabilibus in infinitum. Cognoscit igitur Deus perfectè, & comprehensivè aliqua esse, extra ipsum, possibilia, eligibilia, conferibilia, &c. Dum cognoscit se ipsum comprehensivè; nec fieri potest, vt comprehensionem sui habeat seiunctam, vel etiam virtualiter intrinsecè; à comprehensione illorum. Cognoscit igitur comprehensivè, quot, & qualia eiusmodi omnia esse possint, ex vi comprehensionis perfectæ circa se ipsum.

Art. 3. Nequit autem comprehensivè cognoscere Deus, quot, & qualia eiusmodi omnia esse possint, quin vterius eadem ratione cognoscat quantum, & qualiter distent singula à perfectione, & summa bonitate sui ipsius, & ab ea, quæ est propria vniuscuiusque ex iisdem, nec non illa, quæ sunt contraria singulis, & plus, aut minus nocentia, atque impeditiva bonorum. Quia cognitio horum omnium pertinet ad perfectâ comprehensionem rerum cognitarum. Eadem igitur cum necessitate, & perfectione, cum qua cognoscit Deus se ipsum, cognoscit etiam imperfectiones, & mala omnia tum purè negativa, tum privatiue, seu, & latè, & strictè latius. Nempe imperfectiones, & mala omnia adæquatè, & formaliter consistunt in tali, vel tali determinatè distantia à Deo, & à rebus aliis perfectioribus respectu cuiusque rei determinatè sumptæ, atque in exclusione bonorum, & perfectionis, quæ insunt Deo, & rebus aliis perfectioribus respectu cuiusque. Quia verò vnum genus imperfectionum, & malorum possibilem, sunt cognitiones fingentes, & aliter cognoscentes, ac denominantes objecta, quàm sint in se, iisdemque congruat ex sua natura, & essentia, atque hoc genere cognitionum, aut diuidentium, quæ sunt in se coniuncta, ac identificata, aut componentium, quæ sunt inter se diuisa, ac distincta, sunt, & constant entia rationis ficta; concluditur hæc quoque cognosci similiter à Deo in se ipso. Omnia igitur, & singula, de quorum cognitione quæsitum erat, cognoscuntur à Deo perfectè in se ipso. Recognoscatur locus insignis Dionysij notatus in q. præcedenti art. 3.

Art. 1. Ad. 1. Non est de ratione cognitionis sicut
est

est de ratione actionis physice effectivæ, ut habeat, aut inducat omnem suum terminum ut existentem in se intrinsecè. Quia representari aliquid & existere exemplar, quod sit per cognitionem possibilitatis rei, neque est existere illud in se intrinsecè, neque cum tali eiusdem existentia connectitur ex conceptu suo; quandoquidem ipsum non existere, & indifferentia ad existendum, & non existendum, sunt representabilia verè. Sufficit, ergo ad terminandam cognitionem non minus esse purè extrinsecum, ac denominativum, & tantum secundum quid, quam esse intrinsecum, seu propriè & strictè tale, seu latè, & impropriè tale, nihilque perfectionis, aut bonitatis per se æstimabilis ponens à parte rei, & includens in suo conceptu. Huiusmodi autem esse, nec possibilebus præcisè, ut possibilebus deest, nec privationi, aut malis, aut entibus rationis. Quia virtus causæ efficientis existens in se intrinsecè, denominat extrinsecè possibilem ea omnia, & singula, quæ in eadem continentur. Ratione namque eius continentia sunt significabiles passivè, quatenus possibilebus effectus in ea contenti, & enadit vera enunciatio eius possibilitatis, ut initio observatum est.

Art. 2. Handaliter existentia entis positiui incompòssibilis intrinsecè cum eo, quod non existit, vel simpliciter, & secundum se, vel in subiecto capaci, sufficit ad verificandam negationem existentia circa hoc posterius, propter denominationem extrinsecam non entis, seu non existentia, quæ ipsi communicatur ab existentia rei incompòssibilis cum eodem. Sicut enim virtus causæ effectivæ reddit, ac denominat possibilem effectum in ea contentum; reddit etiam, ac denominat non existentem, non ens; & impeditam, quò minus sit, rem quamlibet, existentia rei alterius intrinsecè incompòssibilis cum illa.

Art. 3. Similem denique entia realia sortiuntur denominationem entis ficti ratione cognitionis creatæ fingentis, seu concipientis illa secus, ac sunt à parte rei secundum suum conceptum quidditativum; & eam tenus sunt cognoscibilia verè entia rationis ficta, respectu cognitionis reflexæ cognoscentis obiectum reale, ut denominatur à cognitione directâ fingenti. Sicut enim visio obiectum, circa quod versatur, denominat visum videndo, redditque cognoscibile verè, quatenus visum; respectu cognitionis reflexæ, & amor amando denominat obiectum amatum, & reddit cognoscibile verè; quatenus tale; & sic de similibus; ita etiam cognitio essentialiter falsa, & fingens, denominat obiectum, circa quod versatur, fallum, & fictum, & reddit cognoscibile verè sub tali denominatione per aliam cognitionem. In hunc igitur modum convenit prædictis omnibus esse secundum quid, & extrinsecè; & consequenter convenit vera cognoscibilitas ratione alterius à se distincti dantis eiulmodi denominationem.

Art. 1. Ad. 2. Connexio Omnipotentia Dei cum possibilitate creaturarum, non est connexio physica unius rei cum re alia, sed est connexio solum logica, seu metaphysica unius conceptus cum conceptu alio; vel potius eiusdem rei, ut concepta vno modo, cum eadem re; ut concepta alio modo; actiue scilicet, & passivè, ut indicatum est supra. Licet enim possibilitas creaturarum sit possibilitas rerum distinctarum à Deo; ipsa tamen possibilitas, quæ est simpliciter necessaria; & datur actu ab æterno, non est distincta realiter à Deo. Quia ut apparet ex prima demonstratione. q. 2. Nihil necessarium, & æternum in se intrinsecè tale, est distinctum realiter à Deo, aut dari potest extra ipsum, utcumque demum nominetur, aut particulis diminutivis limitetur, seu potius obtenebretur. Circa quam veritatem iuaverit valdè legisse loca D. Thomæ indicata ibidem art. 4.

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

Art. 2. Negandum igitur est, maiorem esse re ipsa necessitatem existentia Dei, quam necessitatem possibilitatis creaturarum: licet ratione nostra sit per se maior illius, quam huius necessitas: quatenus existentia Dei habet rationem præmissæ, possibilitas verò creaturarum rationem consequentis respectu intellectus discurrentis, atque præmissæ sunt per se magis necessariae quodammodo, quam consequens. Quia illæ habent rationem causæ, & istud rationem effectus; & propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Inquam, per se: quia intellectus noster ratione suæ imperfectionis, & dependentia à sensibus, sicut cætera Dei, ita & potentiam creatoris cognoscit mediantibus creaturis. Vnde dicere solemus, ideo Deum hoc posse producere, illud non posse, quia hoc est possibile, & illud impossibile. Verum hoc est per accidens, & cognoscitur ad modum prioris, quod est re ipsa posterius, atque è conuerso: translatò videlicet ordine nostrarum cognitionum in obiecta perinde, atque si ille esset iis intrinsecus.

Art. 3. Neganda similiter est absurditas repugnantia Dei repugnante Musca. Quia hoc re ipsa nihil est aliud, quam repugnare Deum repugnante Deo. Possibilitas enim Muscæ, & existentia Dei sunt idem realiter, ac perinde repugnantia vtriusque, & vtriusque est eadem à parte rei. Vnde apparet nullam hic esse veram, ac propriam dependentiam; cum nihil à se ipso verè, ac propriè dependeat. Sola ergo sequitur dependentia secundum quid, & purè logica, in qua nullum est inconueniens, ut patet maxime consideranti, & conferenti inter se eligibilitatem atque amabilitatem creaturarum, atque potentiam Divinam electivam, & amativam.

Art. 4. Negandum denique est sufficienter, & decentius intelligi perfectionem omnipotentia cum indifferentia, quantum est ex se, ad possibilitatem, & repugnantiam creaturarum. Manifestum namque est decentius esse, ut nequidem possibilitatem habeant creaturæ ex se, sed ex Deo; utque Deus per se ipsum sit tota possibilitas rerum, & sufficientia proxima, & absoluta ac adequata ad omne bonum creaturarum, non aliunde quidquam expectans, ut beneficiat quibus volet, sed solum suæ voluntatis rationem sequens pro beneficiis conferendis, vel subtrahendis. Quorum profectò primum, ac fundamentale est ipsa existentia rei. Imponit in toto isto negotio, sicut in rebus aliis pluribus, pluralitas conceptuum nostrorum circa existentiam Dei, & possibilitatem creaturarum, impellens ad cogitandam ex parte obiecti multiplicitem similem multiplicitati conceptuum, seu modorum concipiendi, in quem laqueum incidunt illi vel maxime, qui dicunt Deum adstrui potentem in duplici euentu; si dicatur potentiam eius esse indifferentem ex se ad possibilitatem, & repugnantiam creaturarum; ideoque esse potentiam latius patentem, quæque magis deceat Deum. Nec enim advertunt, qui hoc dicunt, alterum ex illis duobus euentibus esse tantum in conceptu nostro fingente, nec habere aliud esse; quam esse obiectivè in intellectu; ideoque potentiam ad euentum esse potentiam nullius momenti; ut potè somniatam, & fictam. Quales utique potentia possunt, ut libet, attribui amplissime, per augustissimam inanitatem, cuiuslibet rei creatæ, ex. gr. ad faciendum Deum, vel Angelum, si essent factibiles ab ipsa.

Ad 3. Non est de conceptu scientia similitudo entitativa, sed solum representativa inter ipsam scientiam, & obiectum scitum; ut apparet in cognitione vera de falsitate cognitionis falsæ. Huiusmodi autem similitudo non deest scientia Dei respectu negationum, & privationum. Quia ita cognoscit non esse, quæ non sunt, sicut cognoscit esse, quæ sunt. Et

E 3

præterea sicut omne, quod non est, ideo non est, quia est aliquid impossibile cum ipso, & impediens existentia sua, ne ipsum sit; ita scientia Dei neganti esse aliquid, mortuum, & causa negandi, est ens positivum mediatur, vel immediatur impossibile cum illo. Quo evadit modus non essendi intentionaliter simillimus modo non essendi physice. Ratio autem obiectionis solam excludit similitudinem physicam inter scientiam Dei, ipsumque Deum, & inter obiecta creata, tum positiva, tum negativa.

Ad 4. Tametsi nullum malum sit contrarium Deo; Omne tamen, & quolibet malum est contrarium alicui bono creato contento in Deo, & participatio Dei. Nequit igitur cognoscere Deus comprehensivè omne bonum contentum in ipso, & causabile ab eodem; quin cognoscat comprehensivè omne malum contentum in causis secundis, & causabile ab ipsis, vel in ipsis.

Ad 5. Ens rationis fictum non fit à cognoscente illud esse fictum, aut fingibile, sed ab eo, qui cognoscit ens reale fingendo; seu cognitione affirmante, & identificante inuicem, quæ sunt in se distincta, aut è contra negante, & distinguente, quæ sunt idem à parte rei. Deus autem non cognoscit chimæras, & entia rationis hoc secundo modo, sed solum priori modo. Cognoscit enim cognitionem creatam, quæ fit, aut fieri potest ens rationis, esse necessariò falsam, & obiectum, circa quod re ipsa versatur, opposito modo se habere, atque representatur per ipsam. In quo nullum est inconueniens, sed esset in opposito.

QVÆSTIO. XVII.

Vtrum Deus intuitivè cognoscat contingentia absolute futura, quatenus sibi presentia physice?



DETVR non ita cognoscere. 1. Quia quod cras existet, perinde se habet ratione sui, & secundum se præcisè respectu cognitionis hodiernæ, atque si nunquam esset exiturum per totam æternitatem. Perinde enim nequit mouere intellectum, & influere in cognitionem de præsentia. Quia ad operationem præsentem perinde est inutilis existentia futura, atque præterita; & neutri conuenit aliquid de præsentia, per quod differat à non præterito, & non futuro. Contingens autem re ipsa futurum dum ratione sui, & secundum se præcisè ita se habet respectu cognitionis atque si nunquam exiturum esset; nullatenus interim cognosci potest determinate ut futurum, aut ut existens pro aliqua differentia temporis. Quia de conceptu effectus contingentis est, ut prima determinatio sui ad suum esse sit sua ipsius existentia. Vnde nihil ante se præsupponere potest; sicut potest præsupponere effectus necessariò existens, quod sit determinate connexum cum existentia potius, quam cum non existentia ipsius, quodque eundem constituat in ratione futuri potius, quam non futuri, & reddat cognitionem assertiuam futurationis veram potius determinate, quam determinate falsam. Repugnat igitur, ut Deus, cuius omnis cognitio est essentialiter vera, & antecedit tota æternitate effectus omnes existentes in tempore, cognoscat, aut intuitivè, aut etiam abstractivè effectus contingentes absolute futuros.

2. Iuxta Philos. 1. Periher. c. 8. propositiones singulares de futuro non omnes sunt determinate veræ,

aut determinate falsæ. Quia si omnes eiusmodi propositiones essent determinate veræ, aut determinate falsæ, nihil contingentem eueniret. Nec enim contingenter euenit, quod habet antecedentem determinationem infallibilem ad vnam partem, & subsequitur præexistente eiusmodi determinatione sui. Quomodo enim est causa contingentem operans, & se habens indifferenter ad vtrumlibet, cuius aliqua ad alteram partem determinatio præit ante operationem ipsius? Istud autem inconueniens inductum à Philosopho urget, & conuincit multò manifestius in cognitione diuina; quæ videlicet est essentialiter vera, & non per denominationem extrinsecam, sicut cognitiones creatæ, nec contingentem existit, sicut eadem cognitiones. Quia omnis cognitio Dei est identificata cum ipso Deo, qui est ens necessariū, & nullum contingens est identificabile cum vltio necessario. Repugnat igitur Deo cognitio futurorum contingentium; ut potè auferens se ipsa formaliter contingentiam eorum.

3. Enum Angelicam est indiuisibile, ut fert communis D. Thomæ, & aliorum opinio; Vnde totum coexistit omnibus, & singulis partibus totius temporis correspondentis eidem æuo; & nihilominus nequit Angelus cognoscere naturaliter summa contingentia, dum sunt futura respectu nostri. Ergo nec Deus potest eadem intueri anticipatè propter indiuisibilitatem suæ æternitatis; nec genus illud coexistentiæ, & præsentia resultantis ex indiuisibilitate illius potest aliquatenus esse vtile ad determinandum intellectum Diuinum, ut cognoscat, quæ ita sibi coexistunt, suntque præsentia physice.

4. Coexistentia, & præsentia physica creaturarum respectu Dei, est successiua. Quia existentia creaturarum est successiua in se, & secundum se; atque coexistentia includit existentiam rei in se, & secundum se. Cognitio autem Dei de rebus creatis est essentialiter æterna, & existens tota simul absque vlla successione. Ergo cognitio Dei non fertur in res creatas præcisè ut coexistentes, & præsentia sibi physice, sed omninò independentè à tali coexistentia, & præsentia.

5. Prius natura existit vnumquodque in se, estque quodammodo sibi præsens; quam coexistit Deo, sitque ipsi præsens physice. Quia duratio sequitur ad existentiam rei; & vnumquodque est præsentissimum sibi per solam suam existentiam. Cognitio autem Dei eo ordine assequitur qualibet res, quo sunt in se; nec expectat posteriora, ut cognoscat priora. Prius igitur cognoscit Deus futura contingentia secundum se, quam ut coexistentia sibi. Ergo eius cognitio non dependet à coexistentia, qualicumque demum ea sit. Confirmatur: Quia contingentia conditionatè futura cognoscit Deus non minùs, quam absolute futura, & tamen conditionatè futura non sunt præsentia physice, ut patet, sed tantum intentionaliter. Ergo etiam absolute futura cognoscit independentè à præsentia physica.

Art. 1. Respondetur. Res creatæ, quæ aliquando existunt, duplici summo genere continentur. Aliæ enim sunt, quæ fiunt à solo Deo; Aliæ ab eodem simul cum causis secundis. Rursus quæ fiunt à causis secundis, alia fiunt cum necessitate; alia cum libertate, & electione. Quæ differentia solum conuenit effectibus relatè ad causas secundas. Quia comparatione Dei nihil euenit cum absoluta necessitate, sed omnia creata pendent essentialiter ab electione libera Dei; suntque æqualiter contingentia, atque indifferencia in vtramque partem respectu ipsius, ut dicitur q. 20. Quare, cum à Theologis instituitur seorsim, quæstio de diuina futurorum contingentium scientia, sola supponitur eorum distinctio à futuris necessariis